

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Quae supra nos, nihil ad nos. Emblema CIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Quæ supra nos, nihil ad nos.
EMBLEMA CIII.



CAVCASIÀ aternùm pendens in rupe Prometheus
Diripitur sacri præpetis ungue iccur.
Et nollet fecisse hominem: fígulosq; perosus
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant scire, Deumq; vices.

COMMENTARI I.

¶

PROMETHEVS gigas nudus rupi
cathemis ferreis alligatus cernitur, cu-
ius præcordijs insidens aquila, rostro rena-
scencia arrodit viscera. Emblematis inscri-
ptio sumpta est ex dictis Socratis: τὰ ὑπὲρ
ἡμῶν, ἢ πρὸς ἡμῶν quod adagij vice poni-
tur à doctis. Sanctius ex ultimo epigram-
matis disticho, in quo totius emblematis
cardinem esse dicit, aliam elicit inscrip-
-

Epigram-
the,

nem, sic enim reponit: Qui addit sciētians
addit dolorem. vt legimus in sacris literis.

FABVLAM Promethei præter alios
plurimos narrat Hesiodus late in Theogo-
nia, tangit in Georgicis. Sed nos ex varijs
concionatam adducemus, maximè sequen-
tes Iulij Hignij in poetico astronomico,
cap. de Sagitt. Prometheus Iapeti filius, qui
propter excellentiam ingenij miram, ho-
minem

II.

Promen-
thei fabu-
la.

animem finxisse existimatur, dicitur à Ioue impetrasse, vt partem hostiæ in ignem conijcerent, partem in suo consumerent victu: idq; postea consuetudo confirmauit. Quod eum facile à Deo, non vt ab avaro homine impetrasset, ipse Prometheus immolat tauros duos, quorum primum iocinora eum in aram posuisset, reliquam carnem ex utroq; tauro ab ossibus diuisam, & in vnum compositam corio bubulo textit; ossa autem, quæ circa reliqua fuerunt, pelle cõtexta in medio collocauit, & Ioui dedit optionem, vt quam vellet eorum sumeret partem. Iupiter autem, etsi non pro diuina fecit cogitatione, neque vt Deum licebat omnia quæ debuit ante præuidere, sed (quoniam credere institutum historijs) deceptus à Prometheo, verumque putans esse taurum, delegit ossa pro sua dimidia parte. Itaq; postea in solennibus & religiosis sacrificijs, carne hostiarum consumpta, reliquias, quæ pars fuit eorum, eodem igne comburunt. Sed vt ad propositum reuertamur, Iupiter cum factum rescisset, animo percitus mortalibus eripuit ignem. Prometheus verò confectus insidiari, sua opera ereptum mortalibus ignem restituere cogitabat, itaq; cæteris remotis auxilio Mineræ in cœlum ascendit, ibiq; ad Iouis ignem venit (alij dicunt, ferulam ad solis currum admouisse) quo dimiuato & in ferulam coniecto, lætus, vt volare videretur, non currere, ferulam iactans, ne spiritus interclusus vaporis extingueret in angustia lumē. Itaq; homines adhuc plerumque qui læticiæ nuncijs sunt, celerimē veniunt. Præterea in certamine ludorum cursoribus instituerunt ex Promethei consuetudine, vt current lampadem iactantes. De quo vide adagium, *Cursu lampada trado*. Pro quo factò Iupiter Vulcano imperauit, vt feminam è luto componeret, quæ cum astutissima esset, & omnibus artibus à Dijs donata, vocata fuit Pandora. Hæc missa fuit ad Prometheum cum malis omnibus in vasculo inclusis, quod munus cū spreuisset Prometheus, illa ad Epimetheum, Promethei fratrem, contendit, qui dempro vasculi operculo omnia mala euolare sentiens, vix vltimam, & in imo residentem spem occlusit, cum qua vas illud seruauit. Cùm verò Prometheus Iouis munus reieccisset, quod insidias formidaret, dicitur à Mercurio Iouis iussu ad Caucasum, Scy-

thiæ montem asperum & inhabitabilem, ferreis vinculis alligatus, eiq; aquila, vel vt alijs placet, vultur additus, qui perpetuò cor exederet, exesumq; renouaretur. *Martialis lib. 1.*

Qualiter in Scythica religatus ripe Prometheus

Astiduum nimico pectore pauit auem.

Hæc ideo ficta esse asserit Aristides lib. 2. contra Platonem, quia Prometheus Rhetoricen communicauit mortalibus. *Qua de re vide plura in adagio, Communis Mercurius.* Plato in Protagora, sapientiam à Prometheo surreptam ait, hominibusq; communicatam, cuius hæc ferè verba sunt: Cõmunem Vulcani & Mineræ officinam, in qua artes excolebantur, clam ingressus, saturatus est Vulcani artem igneam, aliamque Mineræ, qua viuendi facultas obuenerit. Idem Plato in dialogo de Regno, à Prometheo ignem, à Vulcano artes datas hominibus esse tradit. Nec solum ignem, sed plurimas alias artes generi humano vtilis inuenisse, de se ipso testatur Prometheus apud *Æschylum*, quem vide. *Plutarchus* in libello de Fortuna: Prometheus, inquit, furtim è cœlo nobis afferens ignem, id est, rationem, omnia ista suppeditat. Et paulo inferius: Fabella de Promethei igne alio atque alio viritum omnibus diuiso, sub inuoluctro indicat partes prudentiæ in orbem particulis exiguis esse dispersas, deinde se recepisse in ordinem. *Plinius lib. 7. cap. 56.* ait Prometheum asseruare ignem in ferula, primum docuisse. *Cicero* in Tuscul. Prometheum ait virum quædam perspicacem fuisse, & in rebus arcanis aprius versatum, quas hominibus communicauerit: huic Iouem iratum, quod veritas in profundo demersa videatur. Iecur autem ab aquila exesum significat sollicitudines & curarum ardores, quibus vel prudentiores irretiantur, quarum vinculis eum se conantur expedire, in alias molestiores recidunt. *Fulgentius* in Mythologico, non ab aquila Promethei cor, sed à vulture corredi tradit, idque perbellè interpretatus est. *Quædam* sunt apud *Aphrodisæum* in problematis, perdocta sanè, & ad mythologiã pertinentia, *Menander* suauissimus Poeta, meritò torqueri Prometheum inquit, quia feminam, scilicet omnium humanarum calamitatum autorem, & scelestum omnino animalis genus inuenerit, vt est in his:

ἔστ' ἔ

Mythologia.

Prometheus feminas inuenit.

Iupiter à Prometheo deceptus.

Pandora.

ἄτ' ἢ δικάως προσπεπατταλευμένον,
Τραῖφσι τὸν προμηθεῖα πρὸς τὰς αἰ-
τραίς;

καὶ γίνετ' αὐτῶ λαμπρὰ ἄλλοδ' ἔδ' ἐν
Ἀγαθὸν ὃ μισῶν οἶμ' ἅπαντας τὸς θεῶς,
Τυφάλας ἔπλασεν. ὃ πολυτίμητοι θεοὶ
Τίνος μισρὸν. hoc est:

Ergo immerentem disſitant Prometheus
Pendere fixum Caucaſi de rupibus?
Repertus ignis huic, aliud nihil boni,
Sed quod Deos odiſſe cunctos credidi,
Inuenit idem ſæminas. ὃ Dij boni,
Cenus neſandum.

Mistorica
de Prometheo.

Daris autem Samius ſcriptum reliquit,
Prometheum fuiſſe coniectum in vincula
quia Palladem amauerit. Scholiaſte Apol-
lonii Rhodii id ſigmentum retulit ad hi-
ſtorix fidem. At enim ex Agreta neſcio
quo ſcriptore rerum Scythicarum, Prome-
thei cor idem abſumi ab aquila, iuxta poe-
tarum commenta, quòd ſuam regionem
ſtuitius (cui nomen Aquila) frequenti elu-
tione corrumpere. Cum verò Hercules
quibusdam foſſis ſtuitium auertiſſet, ex eo
factum, vt diceretur aquilam abegiſſe, ac
Prometheum liberaſſe. Alij ſecus tradunt,
Prometheum nempe cum præſtare non
poſſet incolis Scythicis, quibus præerat, ea
quæ neceſſaria eſſent, ob inundationem
ſtuitii Aquilæ, in vincula coniectum, neq;
ſolutum inde, donec Hercules ſtuitium in
mare deduxiſſet. Seruius Grammaticus in
Sileno Virgil. aliam allegoriam huius fa-
bulæ aſſert, & quæ magis fortalſe quadrat
huic noſtro Emblemati. Prometheus Af-
ſyrijs Aſtrogiam indicaiſſe, quam in mon-
te Caucaſo diutina obſeruacione deprehē-
derat. Aquilam eſſe ſollicitudinem, quæ il-
lius cor vexaret & corroderet. Per mercu-
rium debere intell. gij prudentiam: depre-
hendiſſe rationem fulminum Prometheū,
hominibusq; indicaiſſe. Sed ne longior ſim,
vide ipſum Seruium in illo verſu:

Seruij de
Prometheo alle-
goria.

Caucaſenſis, referret volucres, ſurtumq; Pro-
methei.

De Prometheo argutè ſatis Antonius Thy-
leſius:

Illuſit ſuperis quòdam vaſer omnibus vnus
Mortalis, tacitus ſurripuitq; faces.

Iupiter vlcifcens, mortales imperat omnes
Ludat vt occultis ignibus vnus Amor.

Querela
Promethei ad

Sed nunc tandem audiamus queſtus ipſius
Promethei ad Caucaſum alligati, apud
Æſchylum, vt Cicero vertit 2. Tuſcal,

Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis
Generata celo, aſpiciſſe religatum aſperis
Vinctumq; ſaxis, nauem vt horriſono ſreto
Noctem pauantes timidi adneſciunt nauita.
Saturnius me ſic infixit Iupiter,
Iouis numen Mulcibri aſciuit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inferens
Perrupit artus: qua miſer ſolertia
Transuerberatus caſtrū hoc ſuriarū incolo.
Iam tertio me quog; ſuneſto die
Trifti aduolatu aduncis lacerans unguibus
Iouis ſatelles paſtu dilaniat ſero.
Tum iecore opimo ſarta & ſatiata aſſatim
Clangorē fundit vaſtū, & ſublime aduolās
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.
Cum verò ad eſum inflatu renouatum eſt
iſecur.

Tum ruruſus tetros audiſſe ad paſtus referret.
Sic hunc cuſtodem maſti cruciatuſ alo,
Qui me perenni viuum ſeruat miſeria.
Namq; vt videtis, vinculis conſtrictus Iouis,
Arcere nequeo diram volucrem à pectore.
Sic me ipſe vidutus peſtes excipio anxias,
Amore mortis terminum inquirens mali:
Sed longè à letho numine aſpellor Iouis.
Atq; hæc vetuſta ſacris glomerata horridis,
Luctifica clades noſtro infixæ eſt corpori:
Ex quo liquata Solis ardore excidunt
Gutta, qua ſaxa aſſiduè inſtillant Caucaſi.
De Prometheo præter citatos agunt Phor-
nutus in libro de Nat. Deor. cap. de Pro-
metheo. Lucianus in Prometheo ſeu Cau-
caſoſ; & in Deorum dialog. ſub perſonis Io-
uis & Promethei; & in opuſculo de ſacrifi-
cijs, & in Amoribus. Philoſtratus lib. 2.
Plato lib. de nat. hominis. Horatius lib. 1.
Catm. Od. 3. Diogenes Laertius lib. 1. de
vita Philoſoph. Cæſ. Rhodigin. lib. 7. c. 19.
20. & 21. Natalis Comes Mytholog. lib. 4.
cap. 6. & alij multi, quorum aliquos etiam
infra citabimus. Extant etiam duo Epigrā-
mata Græca Iuliani in lib. 4. Epigram.
Græcor. tit. εἰς εἰκόνας ἡρώων.

CAUCASIA rupe] Sic Politianus in Nu-
tritia:

Nondum Caucaſia pendens in rupe Pro-
metheus.

Æternū] adærbium, pro perpetuò.
Sed hic dignum videtur inquisitione, quā-
obrem dixerit, æternū. quandoquidem
poſtea ſolutus ſit Prometheus, vt ex Lu-
ciano & Higino locis citatis conſtat. Du-
plicem aſſigno reſponſionem: Vel enim æ-
ternū capitur pro longiſſimo temporis
ſpatio,

III;

spatio, siquidem, ut ait Æschylus, ad tri-
 ginta millia annorum iacuit religatus. Aut
 reuera nunquam fuit solutus: nam ne Io-
 nis iusiurandum irritum caderet, ex dua-
 bus rebus, hoc est, ferro & lapide, quibus
 Prometheus fuerat alligatus, digitu illius
 Iupiter vinciri iussit, & ita cum soluit, quo
 niam illi vaticinatus esset, quod si rem cũ
 Nerine nymp̃ha (alij vocant Themida) ha-
 beret, futurum erat, ut filius nasceretur, à
 quo eadem Iupiter pateretur, quæ ab ipso
 passus fuerat Saturnus. Quæ consuetudine
 homines vsi, quo satisfecit Prometheo vi-
 derentur, annulos lapide & ferro conclu-
 sos habere cœperunt. Quæ de re meminit
 Plinius in proœmio libri 36. his verbis:
 Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus
 iurijis in tantum hæc admiratio exarsit,
 diximus quadã tenuis in mēione auri an-
 nulorumque. Fabulæ primordium à rupe
 Caucafea tradunt, Promethei vinculorum
 interpretatione fatalis; primũmque fragmen-
 tum saxi inclusum ferro, ac digito circũ-
 datum hoc fuisse anulum, & hoc gem-
 mam. Vnde quoque est, ut solus ferreus an-
 nulus, quo diu Romani sunt vsi, id possit
 significare. Sed de annulorum origine, eo-
 rumque vario gestandi ritu, consule doctis-
 simum Scholiastem Pancirolij lib. 1. de re-
 bus memorab. tit. De Legatis.

Origo an-
nulorum.

Prome-
theus un-
de dicitur.

Prometheus] Ex etymo nominis osten-
 ditur Prometheus vatem fuisse; nam προ-
 μνηστικα prudentiam, pronidentiamque signi-
 ficat; & προμνηστικα. prospicio, prouid-
 deo. Vnde adagium, προμνηστικα μετὰ τὰ
 πράγματα. id est: Prometheus post res con-
 secutus.

Diripitur iecur] pro iecore, Græca lo-
 cutio frequentissima Poetis, in qua deest
 præpositio κατὰ, id est, secundum. ut, na-
 da pedem, fractus membra. Ouidius:

---Partes quasctung; sedendo

Flectitur.

Sacri præpetis] id est, auis diuinæ. Peri-
 phrasia aquila, quæ, ut alibi diximus, Ioui
 sacra est. In qua significatione vsurpatur à
 Virgilio 3. Æneid.

Et volucrum linguis, & præpetis omina
 penna.

Præpos.

Præpos autem, ut docet Gell. lib. 6. cap. 6.
 auis dicitur, quæ opportunè in auguriis
 præuolat. Blondus præpetes dici ait, quæ
 se ante auspiciantem ferunt, nam præpete-
 re dicebant ante ire. Ouidius Fast. 6.

Tunc oritur magni præpetis adunca Iouis.
 Hanc autem Promethei aquilam (inquit
 Higinius) nonnulli ex Typhone & Echid-
 na natam: alij ex Terra & Tartaro: com-
 plures Vulcani factam manibus demon-
 strant, animamque ei ab Ioue traditam di-
 cunt.

Et nollet secisse hominem] Prometheus
 enim hominem finxisset, & igne clam è cœ-
 lo sublato eundem animasse creditur. Qui
 dius lib. 1. Metamorph.

Natus homo est: siue hunc diuino semine
 fecit

Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
 Sine recens tellus, seductaq; nuper ab alto
 Æthere cognati retinebat semina cœli.

Quæ satus Iapeto mista fluminalibus undis
 Finxit in effigie moderatum cuncta Deorum.

Fama est, Prometheum cum hominem fin-
 geret, portiones acceptas è singulis elemē-
 tis suo operi admiscuisse, atque pro ipsorum
 elementorum temperamentis non solum
 vires singulis corporibus addidisse, sed et-
 iam motus animorum & mores. Qui ve-
 rò magis etiam fabulosè rem aggressi sunt
 explicare, dixerunt, timorem leporis, astu-
 tiam vulpis, ambitionem pavonis, feritatem
 tigridis, iracundiam leonis, & magnitudi-
 nem animi fuisse hominibus ab ipso Pro-
 metheo adiunctas: quod ita significauit
 Horatius in primo Carm.

Fertur Prometheus, addere principè
 Limo coactus particulam undiq;
 Delectam, & insani leonis
 Vim stomacho apposuisse nostro.

Memoriæ prodidit in Phocæicis Pausanias,
 non procul à Panopenfibus apud torren-
 tem quædam saxa fuisse ingentia, reliquias
 creditas eius luti, è quo Prometheus vni-
 uersum genus hominum finxit. Hinc poe-
 tica quadam cum suauitate reprehendit
 Propertius lib. 3. quia cum plurimum ope-
 ræ in corpore hominum rectè formando
 consumpsisset, mentem neglexerit, in qua
 scitè & optimè formanda totum studium
 erat adhibendum, sit enim inquit:

O prima infelix fingenti terra Prometheo;
 Ille parum cauti pectoris egit opus:
 Corpora disponens, mentè non vidit in artes;
 Recta animi primam debuit esse viam.

Figulosque perosus] quia ex luto hominẽ
 finxerat, materia scilicet figulina.

Ab igne] Solis intellige, ut plerique fabu-
 lantur; quamuis supra etiam diximus ignẽ
 illum

Prome-
theus hõ-
minẽ fin-
xit.

Quæ 780
tionẽ.

illum fuisse Iouis.

Roduntur varijs.] Hæc duo carmina videntur alludere ad dogma illud Pythagoricum, *Cov ne ediro.* hoc est, animum doloribus angoribusq; non excruciantum, vt explanat Diogenes Laertius in vita Pythagoræ.

Prudentum] nimium altè sapientum. Bene dixit, *prudentum:* nam reliquos non similis macerat cura; & Prometheus prudentes refert. Hinc Alex. Aphrodis. in problem. sententia: Similiter, inquit, Prometheus cum sapiens esset, sidereæque aquilæ causam peruestigaret, naturamq; eius ac situm, cumq; discèdi cupiditate veluti exederetur, tum demum quieuit, cum ei Hercules dubitationem omnem sua sapientia soluit.

Qui cæli affectant.] Iophon Bacchis, vt refert in Eclogis Stobæus:

Επίσταμαι & τὰ δὲ, ὅσα περὺν
Ὀὐρανὸν ὄντι εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
Ζητεῖ, τοσοῦτο μᾶλλον ἤσσαν εἴεται.

IV.
Quid per
Promethei
Causa
alligatum.

VARIA hoc Emblema nobis suppeditat documenta, sed quædam libasse sufficiat. Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, huius fabulæ mysterium exponit. Per vulturum, siue aquilam, iecur immortale tudentem, nihil aliud intelligunt præsci illi Theologi, inquit, quàm tormenta malæ conscientię obnoxia flagitio viscera interiora rimâti, & ipsa vitalia indefesa admilli sceleris admonitione laniantis, semperq; curas, si fortè requiescere tentarint, excitantis, tamquam fibris renascentibus in hærendo, nec vlla sibi miseratione parcētis, lege hæc, qua se iudice nemo nocēs absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiã. Cui videretur assentiri Petronius his hendecasyllabis:

Cur vultur iecur vltimum pererrat,
Et pectus trahit, intimaq; fibras,
Non est quem lepidi vocant poeta:
Sed cordis mala, liuor atq; luxus.

Hic autem conuertitur fabula vel in eos, qui diuina Philosophiæ mysteria nescio qua mente subtilius conantur indagare: vel in eos, qui naturali iudicio, si dei Christianæ oracula complecti, vel etiã ipsa arcana diuina (quæ scrutari periculosissimū est, vt quid planè ἀδύνατον) discutere, de quæ ijs humano sensu aliquid statuere se posse putant: ad quæ certè humani oculi caligant, vt nocturnæ ad lumen Solis diurnæ.

num. Proinde Sapiens Prou. 25. *Qui seruetur maiestatem, opprimetur à gloria.*

Quò etiã spectat illud Euripidis: *ὀρθῶν δὲ θυντῶν ἔχρη μίγνα.* id est, *Mortalem non decet alium sapere.* Scitu digna sunt illa Arnobij lib. 2. contra Gent.

Quæ nequeant sciri, nescite nos confitemur, neque ea conquirere aut inuestigare curamus, quæ comprehendere liquidissimum est non posse, quamuis mille per corda suspicio se porrigat atq; intendat humana. Et idèd Christus, cum mortalium seiret cæcam esse naturam, neq; vllam posse comprehendere veritatem positurum ante oculos rerum, pro comperto habere, & cognito, quicquid sibi esse suasisset, & profus suspicionibus hesitare, at iugiosus serere atque intèdere quæstiones; omnia illa vos linquere & posthabere præcipit, neque in res eas, quæ sunt à nostra procul cognitione dimotæ, in fructuosas immittere cogitationes.

Et deinceps: *Quid est, inquit, vobis vestigare, conquirere, quisnam hominem fecerit; animarum origo quæ sit?* quis malorum excogitauerit causas? *be sit Sol amplior, an pedis vnus latitudine metiatur?* alieno ex lumine, an proprijs luceat fulgoribus Luna? *quæ neq; seire compendium, neque ignorare detrimentum est?* Remittite hæc Deo, atq; ipsum seire concedite, quid, quare, aut vnde sit. Vestris non est rationibus liberum implicare vos talibus, & tam remotas inutiliter curare res. Hæc Arnob.

Addam & aliud oraculum Minutij Felicis, Romani olim causidici, qui in in Octauio ita scribit: *Quo magis mirum est, non nullos tædio inuestigandæ penitus veritatis, cui libet opinioni temerè succumbere, quàm in explorando pertinaci diligentia perseverare.* Itaq; indignandum omnibus, & indolefcendum est, audire quosdam, & hos studiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certū aliquid de summa rerum ac maiestate decetnere, de qua tot omnibus sæculis seclatorum plurimarum vsque adhuc ipsa Philosophia delibet. Nec immeritò: cum tantum absit ab exploratione diuina, humana mediocritas, vt neq; quæ supra nos cælo suspensa sublata sunt, neq; quæ infra terram profunda demersa sunt, aut seire sit datū, aut seitari permiffum, aut scrutari religiosum: beati satis, satisq; prudētis iure videamur, si secundū illud vetus Sapiētis oraculum

Minutij
Felicis
locus.

lū, nosmetipfos familiarius nonerimus. Idē
 ē: Minutius paulō post hac de re ita doctē
 & prudenter: Proinde, ait, si quid sapientiæ
 vobis aut verecundiæ est, desinite cæli pla-
 gas, & mūdi fata & secreta rimari: facis est
 pro pedibus aspicere, maximē indoctis, im-
 politis, rudibus, agrestibus, quibus non est
 datum intelligere ciuilia, multō magis de-
 negreum est disserere diuina. Quamquam
 si philosophandi libido est, Socratem sapiē-
 tiæ principem, quisquis vēstrum tantus
 est, si potuerit, imiteret. Eius viri, quoties
 de cælestibus rogabatur, nota responsio
 est: *Quod supra nos nihil ad nos.* Quod ora-
 chlunū idem ipse præsentit, iccirco vniuersis
 se præpositum, non quod omnia com-
 perisset, sed quod nihil se scire didicisset.
 Ita confessio imperitiæ summa prudentia
 est. Hoc fonte defluxit Arcefila, & multō
 post Carneadis & Academicorum pluri-
 morum in summis quæstionibus tuta du-
 bitatio: quo genere philosophari & cautē
 indocti possunt, & docti gloriosē. Quid?
 Simonidis Melici nonne admiranda omni-
 bus & sectanda cunctatio? qui Simonides
 cum de eo, quid, & quales arbitraretur
 Deos, ab Hierone tyranno quæreretur, pri-
 mō deliberationi diem petijt: postridie bi-
 duum prorogauit, mox alterum tantum
 admonitus adiunxit: postremō cum caus-
 las tantæ morē tyrannus inquireret, respō-
 dit ille: Quod sibi quanto inquisitio tard-
 dior pergeret, tanto veritas fieret obscu-
 rior. Mea quoq; opinione, quæ sunt du-
 bia, vt sunt, relinquenda sunt: nec tot ac-
 tantis viris deliberantibus temerē & auda-
 ceter in alteram partem ferenda sententia
 est, ne aut anilis inducatur superstitio, aut
 omnis religio destruat. Sic Minutius.
 Poterit etiam nō incommodē torqueri in

eos, qui Astrologi iudiciarij vulgō nuncu-
 pantur, quorum animus quantis vagetur
 erroribus, alij viderint. Vel in quoddam
 Philosophos, qui quæ abstrusa profus, at-
 que abdita Deus esse voluit, scrutati sunt:
 ac naturam rerum cælestium inuestiga-
 runt, quæ à nobis longē remotæ neq; oculis
 conspici, neq; tangi manu, neque com-
 prehendi sensibus possunt, & tamē de illa-
 rum omnium ratione sic disputarunt, vt
 ea, quæ asseruerunt probata & cognita vi-
 deti voluerint, ait Lactantius in opificio
 Dei. Vsa est etiam hac epigraphæ commo-
 dē anus quædam in Thaletem Philoso-
 phum, quem cum sidera noctu contem-
 plantem fortē in foueam incidere vidisset,
 illudens ei faceret dixit: *Quæ supra nos, o
 Thales, nihil ad nos: quomodo, obsecro,
 cælestia comprehendere poteris, qui ea
 quæ sunt ante pedes, non vides?* Ariston di-
 cebat, eorum, quæ Philosophi scrutantur,
 alia ad nos pertinere, alia nihil, quædam
 supra nos esse. Sensit autem disciplinam
 morum spectare ad nos; sophisticam nihil
 ad nos pertinere, eo quod ad vitæ emen-
 dationem non tantum non proficit, sed ri-
 zas etiam & contentiones progneret;
 Astronomiam verō, Astrologiam, & huius-
 modi artes supra nos esse omnino. Fabulam
 hanc Promethei ab Hesiodo in operi-
 bus pertractatam, ad rei veritatem expli-
 cat in proemio libri vltimi naturalis Hi-
 storia Plinius, & in libro Problem. Ale-
 xander Aphrodis. Lege præter citatos su-
 pra, Diodorum Siculum in 6. Lactantium
 lib. 2. cap. 11. Huc referenda disputatio
 nobilis Socratica ex Xenophon. 1. Com-
 ment. ferē initio, & quæ Lactantius in 2.
 cap. 9. Diuin. Institut. colligit.

Simonidis
 cor datum
 responsi.

